

*Doc. 49 (Robertus etc. Guillelmo
de Ebulo militis iustitiario
Basilicate fideli suo etc.)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 49 (Robertus etc. Guillelmo
de Ebulo militis iustitiario
Basilicate fideli suo etc.)*

1315-10-05

Robertus etc. Guillelmo de Ebulo militis iustitiario
Basilicate fideli suo etc.

Intellecto nuper quod castellani Gervasii et
Lacuspensulis minus prudenter et potius insolenter
agentes animalia massariorum nostrarum non permittunt
sumere pascua in forestis commissis custodie eorumdem,
animalia privatorum indifferenter in illis recipiunt et
affidant in preiudicium nostre curie manifestum, et quod
est satis enorme de aqua fontis Sancti Gervasii, quam
castellanus dicti castri vendit pro animalibus privatorum,
animalia dictarum massariorum sumere et habere non
possunt, nos exinde contra dictos castellanos non indigne
turbati mandamus eis per alias litteras nostras expresse
quod animalia massariorum ipsarum mercata merco
curie in forestis eisdem sumere pascua et aquam in
locis videlicet consuetis libere et sine contradictione
permittant, et animalia privatorum in eis recipere vel
affidare nullo modo presumant, tue quoque fidelitati
committimus et expresse precipimus quatenus si dicti
castellani a talibus de cetero non desistent tu eos
ad id auctoritate presentium qua expedierit coercione
compellas, et nichilominus quia nolumus ipsos impune
de premissis transire subiungendo mandamus ut de
predictis omnibus inquirere studeas diligenter, et si rem
inveneris ita esse contra castellanos ipsos ad penam
procedas meritam de commissis.

Datum Neapoli anno domini MCCCXV die V octobris
XIII indictionis. Regnorum nostrorum anno septimo.